

LXXXV. LVCVS? (*Luco*).

Deam Angitiam inde dictam, quod carmina eius serpentes angerent, quam alii Medeae sororem esse perhibebant, alii ipsam Medeam in Italiam Iasonis quaerendi causa profectam, ad Fucinum lacum a Marsis utpote serpentium incantatoribus praecipue cultam esse et nemus sacrum ad Fucinum lacum habuisse Vergilius (Aen. 7, 750) ait quique ex Vergiliana doctrina pendent, Servius ad l. c. et Silius Italicus 8, 500 et Solinus 2, 29. Sacrum id probabile est id ipsum fuisse, ad quod eruderatus est titulus Angitiae n. 3885, neque improbabile Lucenses, quos unus Plinius 3, 12, 106 inter oppida Marsorum enumerat, ab eo luco nomen traxisse, cum praesertim adhuc is locus eodem nomine *Luco* appelletur. At Lucenses num suam rem publicam habuerint, dubium est,

videturque magis Plinius vicum in re sacra satis notum parum caute in ordinem populorum recepisse. Certe quod secundum titulos infra relatos *quinquennales* (n. 3885), *IIIviri iure dicundo* (n. 3894), *pontifex* (n. 3893) Luci opera publica fecerunt, potuerunt ii officio publico sacrove fungi in ea re publica, cuius territorio nemus illud comprehendebatur. Quenam autem ea fuerit, tituli non determinant; potest Lucus in pertica Marsorum fuisse, sed etiam de Antino cogitare licet, cum Albam excludat tribus Sergia (n. 3894). — Adiunxi Lucensibus titulis paucos repertos ad emissarium vel in ipso emissario lacus Fucini Claudiano; in his duos militum classis Ravennatis n. 3891. 3892, ubi vide quae adnotavimus.

3885 [= 5592] tabula longa palm. 4, lata palm. 8¹/₅, rep. m. Iun. a. 1808 in ruderibus q. d. *Corno di Penna* in praediis S. Mariae gratiarum ad plagam septentrionalem quae orientem respicit a Luco circa 300 pass. MATTEI; prope moenia antiqua ambitu cann. 879 et palm. 6, distantia D p. ab emissario Claudii GVATT. Deinde Luci in ecclesia parochiali. Nuperrime iubente ecclesiae oeconomo Iohanne de Cristoforo lapis in pavimento collocatus est litteris, ne oculos offenderent, diligenter erasis. Huius oeconomi nomen nos tradimus gratiae posteritati.

SEX · TACCIVS · KA · f
 ET · SEX · PACCIVS · KA^{es} · f
 QVINQ · MVRVM · VET^{u s t}
 sic CONSVMTVM · A · SOLO · RESTITIT
 5 EX · P · P · ANGITIAE

Recognovit Brunn. De Costanzo *odeporico* f. 230'; Aur. Mattei Avezzanensis misit Gubernio Neapolitano d. 15 Iul. 1808 (*Registro dello Stato IX* p. 569—571); Guattani *mem. encicl.* t. VII p. 4 et *mon. Sab.* III p. 59 a Fr. Ferrante; Nibby *viaggio ne' contorni di Roma* (1819) t. I p. 211; Lupoli *inscr. Corf.* p. 367 ab Antonio Musca; Martelli *ant. de' Sicoli* n. 67 p. 180; descripserunt Melchiori, Brocchi, Kramer, qui dedit Kellermanno ipseque edidit in libro *der Fuciner See* p. 58, Garrucci; di Pietro *antich. Marsic.* p. 24. Orelli-Henzen 115 = 5826.

Non attendi in titulo Brunnio et Garruccio viso nisi ad potiora. — 1 fin. N Cost. Brunn Garr., 1^v Kramer, L Melch., om. reliqui. — 2 fin. KA Brunn, IA Garr. Cost. Brocchi, IA Guatt. Melch. Kramer, M Nibby, P Lup. — 4 CONSVMTVM Brunn ('sic') Lup. Kram., CONSVNTVM Nibby, CONSVMPVM Melch., CONSVPTVM reliqui. — RESTA... Cost. — 5 ANGITIAE Lup. — Martellius sic interpolavit: SEX · PACCIVS · PATER | ET · SEX · PACCIVS · FILIVS | QVINQVENNALES · MVRVM | VETVSTATE · CONSVPTVM | A · SOLO · RESTITVERVNT | EX · PEC · PVBL · ANGITIAE.

Mihi videtur esse titulus non in oppido Angitiae quod nullum fuit, sed deae Angitiae consecratus muro restituto quo fortasse nemus eius cingebatur. Vide capitis praefationem.

3886 [= 839*] ad emissarium lacus Fucini ACC., ad emissarium in vestibulo opere arcuato fabrefacto quod dicitur *la Grotta di Santo Patre* magnus lapis aram sustinens summo deo Patri sacratam PHOEB.

NOBILIS · PROC
 AVG
 HIC · HVMATVS · EST

Accursius Cel. n. 7 (inde Mur. 764, 4 ex schedis Ambros.); Phoebonius hist. p. 91 (inde Corsignani viri ill. p. 297, *R. M.* 1, 117).

1 PROC] PROGENIES Phoeb., addens fabellam Agrippinam, cum gravida venisset spectatum munus a Claudio datum in emittendo lacu Fucino, territam clade quam enarrat Tacitus ann. 12, 54 immaturum fetum edidisse eumque cum ultra nonum diem vitam traxisset, obiisse nomine imposito et a patre in atrio emissarii sepultum esse; 'nomen impia manus excidit'. Propter has nugas Fabrettius col. Trai. p. 404 titulum confictum iudicavit eumque ego secutus sum in ed. priore; iam vero cum constet Accursium eundem lapidem vidisse, efficitur Phoebonium titulum non excogitavisse, sed interpolasse. — 3 HVMATVS] TVMVLATVS Phoeb.

Fortasse Vernia Pocilla, cui Nobilis coniux monumentum fecit n. 4038, huius ipsius uxor fuit.

3887 pessimis litteris. — Rep. mense Iulio a. 1854 ad lacum Fucinum operibus emittendae aquae causa ibi institutis. *Cette plaque de marbre de 0.189 m. de hauteur, sur 0.295 m. de largeur, portant à chaque angle un trou dans lequel passait le fer de son scellement au mur, devait avoir été fixée au dessus de l'entrée d'une sorte de petit temple ou chapelle, dont on a reconnu l'emplacement au milieu des substructions qui s'élevaient au dessus de la tête de l'émissaire romain et qui faisaient partie des bâtiments dans lesquels habitaient les personnes attachées à l'entretien de l'émissaire et de ses dépendances* LEO DE ROTROU (v. p. 349). Nunc Neapoli in museo.

ONESIMVS AVG · LIB
 PROC
 FECIT · IMAGINIBVS ET
 LARIBVS · CVLTORIBVS
 5 FVCINI ·

Recognovi. Lanci *Bull. dell' Inst.* 1854 p. XII indeque Henzen syll. n. 5826 a; Fiorelli cat. n. 443.

Duplex dativus eadem ratione videtur interpretandus esse, qua in *inscr. Helv.* p. 125 explicui praescriptionem *numini Augusti* vel *numinibus Augustorum* in titulis cum honorariis tum sacris, ut Iovis et

Apollinis, non admodum raram et ita fere usurpatam ut usurpatur toties formula *in honorem domus divinae*. Nempe quo tempore gliscebant adulatio et prona omnia ferebantur ad turpissimum cottidianumque obsequium, homines solebant quidquid effecturi erant praemittere ipsi qua opus erat dedicationi alteram tanquam maiorem et excelsiorem, qua commendabatur monumentum imperatoris numini domusque eius genio. Quam ob rem ita inscriptionem interpretor, ut Augusti libertus ille qui sacellum fecit primum id dedicaverit *imaginibus et Laribus*, scilicet dominorum suorum Augustorum, deinde collegio funeraticio sive *cultoribus*, qui Fucinum sibi elegerant deum tutelarem.